QUÆSTIONES DUÆ,
PRO MODULO,
DISCUTIENDÆ SUB
CAROLO CHAUNCÆO
SS. Theol. Bac. Præside Col: *Harvard. Cantabrig. Nov-Angl.*
IN COMITIIS PER INCEPTORES IN ARTIBUS
Die Decimo Sextilis M. DC. LXIX.

AN *Protoplasti per lapsum amiserint Dona Naturalia?*

Affirmat Respondens, *Josephus Brownæus.*

Integra post lapsum naturæ Dona Papistæ
Contendunt, nostri *hæc perdita jure dolent*:
Hinc illi vires Naturæ *sufficientes*,
Ut salvus fiat quilibet, esse putant:
Sed contrà certum est Natura, filius iræ
Censetur lapsus, sic statuente Deo:
Deq; novo *quorsum non expedit esse* creandos,
Et nasci, satius si genitura prior?
Supra naturam *quæ dona, perdita dona fatemur*,
Quæis Protoplasti non caruêre prius:
Cum vitâ perdit, peccatis mortuus, illa,
Et quæ naturæ *dona fuêre simul.*
Ergò,
Cum sic naturam sanctam violavit Adamus,
Quid Monstri *Genius* posteritatis erit?

AN *Homo sit Causa libera suarum Actionum?*

Affirmat Respondens, *Johannes Richardsonus.*

Delectum quærit ratio, natura *ligavit*
Ἓν ὃ πρὸς ἓν *remanens limite fixa suo*:
Libertas soli, semper, sic convenit omni,
Re verâ compos qui rationis erit.
Sic nihil est hominum, quo carcere clausa voluntas
Non operum dici libera Causa potest.
Sed non prima tamen, nec ad omnia libera causa est,
Est quæ causa boni libera, quæq; mali:
Nec libertati Concursus Numinis *obstat*,
In quo vita *datur*, motus, & esse *simul*:
Humanos etiam quamvis determinet actus,
Nemo tamen dicat facta coacta sibi.
Ergò,
Seu bona seu mala sint, homo libera causa vocandus
Fiant, non fiant; libera causa manet:
Arbitrium servum sic libera causa malorum est,
Arbitriumq; bonum libera causa boni.